

1717.

1. ^{1st} Noodt, Gerardus : De origine nobilitatis Germanicae
et principis gestus, cum ejus iuris. 3 Sept. 1717, 1718
et 1745

2. Warring, Gerhardus : De fide haeretico alieno.

1718.

1. van Bleg ~~Bleg~~ Bleswyk, Gert : Virtutes jur. in ang. ad
legem 6 Cod. de lege Juliae repetundarum

2. Claerbergen, Nicholas Vegetius, de : Disputatio jur.
ad legem Juliae repetundarum

3. van de Maesel, Franciscus : De aegrotis gestis

1719.

1. van Neeff, Lambertus : De reconventionone.

2. (Pietermaat, Petrus : De usucapionibus)

1720.

1. van Berendrecht, Nicolaus : De procuratoribus.

2. Poo, Wilhelmus, de : Disputatio jur. in ang. ad legem
cum alienam 10 Codicis de legatis



1721.

1. Bruyn, Henricus, de: Disputatio j^{ur}. Gron^{ov}: ad legem
30 ff. de regulis juris.
2. Gork, Petrus Adriaenus: De testamentis
3. Heckelhoeck, Adriaenus: De necessaria ~~et~~ hereditaria
institutione.
- 4 van den Heuvel, Antonius: De concubinato.
5. Velffen, Joannes Bernhardus: De lue venerea ex atomis
seminalibus oriunda.

1722.

1. Conradi, Francus Aaden: De ostiario frontis infecto
2. Fese, Velfff Friedrich: De venenis eorumque anti-
dotis.
3. Münsingh, Theobaldus: Disputatio j^{ur}. ineq: ad l. 2.
Cod: De his, qui veniam aetatis impetraverunt.
4. Gerbers, Seckhard: De rerum dominio j^{ur}. gentium
acquirendo

1723

legen
S. Jansen, Cornelius: Disputatio juris. inang. ad aed. li-
Hum. editum.

1725.

Thibaud, Johannes Wilhelmus: De compensationibus.

1727.

Ooster, Abrahamus: De usucapionibus.

1728

bonus
1. von der Beeck, Hero: Disputatio juris. in ang. ad
princ. leg. 6. Cod. de reconditis nuptiis.

1729.

cto
ati-
Smid, Hensen: De errore communis juris faciente

1729.

1.2.
at)
Schraumen, Gelhardus: De jure innociae atq. l. latio



[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



DISSERTA
JURIDICA INAUGURATA
DE
FILIO HÆRETICO

QUAM
ANNUENTE DEO C

Ex Auctoritate Magnifici

D. ANTONII SCH

J. U. D. ET ANTECESSOR

NEC NON

Amplissimi SENATUS Academici Con

Facultatis JURIDICÆ

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in utroque JURE Honoris

ac legitimè consequentibus

Eruditorum examini sub

GERHARDUS WARSING

Ad diem 15. Julii 1717. horâ

P. 370



4

DISSERTATIO
 JURIDICA INAUGURALIS
 DE
 FILIO HÆRETICO ALENDO.

1717, 2

1717

QUAM
 ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
 D. ANTONII SCHULTINGII,
 J. U. D. ET ANTECESSORIS ORDINARI.

NEC NON
 Amplissimi SENATUS Academici Consensu, & Nobilissime
 Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
 Summisque in utroque JURE Honoribus & Privilegiis ritè
 ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit

GERHARDUS WARSING, Amstelodamensis Batavus,
 Ad diem 15. Julii 1717. horâ 10. locoque solito.

P. 320



KONFRIED
 UNIVERS.
 ZVHALIE

HONORATISSIMIS, NOBILISSIMIS,

DOMINIS
CURATORIBUS,
SUIS.

HANC

SUAM DISSERTATIONEM,

D. D. D.

GERHARDUS WARSING.

Autor.

HONORATISSIMIS, NOBILISSIMIS,

DOMINIS

CURATORIBUS,

SUIS.

HANC

SUAM DISSERTATIONEM,

D. D. D.

GERHARDUS WARSING.

Autor.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.
DE
FILIO HÆRETICO ALENDO.
CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. 1.



*Ravitas & dignitas argumen-
ti. §. 2. Methodus dicendo-
rum. §. 3. An alimenta libe-
ris in genere debeantur §. 4.
Variorum varia definitiones
heritici. §. 5. Genuina hære-
tici definitio. §. 6. An hæresis
sit crimen & puniri queat.
§. 7. Questio: An filio hæ-
retico debeantur alimenta, ventilatur. §. 8. Quid Ius
Civile circa filium hæreticum alendum statuatur, quid DD.
hic decernant, quæ nostra de hac questione sit senten-
tia. §. 9. An Ius Civile alimenta demere queat illi,
cui eadem Iure Naturali debentur. §. 10. An sacra
scriptura filium nostrum hæreticum alii velit.*

§. 1.

Magnum sane momentum trahit in Jurisprudentiâ tam Na-
turali quam Civili recte intellectâ doctrinâ de alimentis. Tot
enim lites, tot altercationes de alimentis vel debendis vel non
debendis apud DD. passim leguntur, ut nullâ ferè ratione so-
piri aut componi posse videantur. Hinc est quod nonnulli
ad Doctrinam de alimentis commentati speciatim sint, uti Co-
leri

4 AD DISSERTATIO JURIDICA

& Pontani tractationes de dignissimâ hâc materia typis vulgatæ prostant. Nihilominus tamen varia hîc illîc deliderari possè adhuc videntur. Dico *dignissima materia*. Quid enim quæso necessarium magis in hâc vitâ est, quam ut egenti corpori justa præbeantur alimenta? & quid magis avidè aut magis sollicitè, quam victus quotidianus, hodiènum quæritur. Eò scilicet mortalium habendi cupido cessit, ut, exulante sui prodigâ charitate & dominiò rerum introducto, an proximo de suo quid impetendum sit, superbè dubitetur. Neque aliter hoc fieri potuit, ubi mutua charitate charitas nostra aut amoris abundantia rarissime compensari solet. Illud tantum improbandum videtur, quod non pauci iis, quibus, etiam introducta rerum proprietate & dominiò, alimenta jure naturali debentur, eadem denegare non sint subveriti, quod in præsentî themate clarum fiet. Quare cum Disputatio Inauguralis mihi habenda sit, nullam digniorem materiam eligere me possè autumavi, quam si quæstio de filio hæretico alendo sollicitius indagetur, & in evidenti collocetur luce. Quamvis apud animum constitueram consequi me velle Doctorales honores Groningæ, moriente vero Professore meo, A. A. Pagenstechero alium locum me eligere debere autumavi. Cæptis supremum annuat numen, faxitque, quo cuncta in divinam ejus vergant gloriam.

§. 2.

Quando igitur de filio hæretico alendo commentari apud animum constitui, necessum duco, ut qua ordine, qua via incedendum mihi sit ante omnia dispiciam. Quare in ipso limine dissertationis varia de alimentis liberis à parentibus præstandis, deque hæretici definitione ante prædelibanda mihi erunt quam ad tractationem de alendo filio hæretico descendam. Hac ratione variæ quæstiones, e. g. de crimine hæreseos, ejusque pœna sese offerunt. Ex his omnibus justo ordine collocatis ipsa domus educenda erit, & quid jura, quid Sacra Scriptura circa hæreticum nostrum filium alendum statuunt, evolendum erit cum curâ. In ipsâ verò dissertationis tractatione illud in specie curabimus, ut ne nimis excresecat, sed singula ea, quæ fieri po-

terit brevitate succincta, at non minori perspicuitate pertra-
ctentur.

§. 3.

Ingens toti huic problemati lux affunditur, si in ipsam ali-
mentorum liberis debitorum naturam, & quantum hæc Jure
Naturali trahant momentum, sollicitius inquiramus. Si finem
matrimonii spectemus, sanè is primarius est, quod procreandæ
sobolis ergo matrimonium contrahatur, unde conjugalis socie-
tas paternam ordinariè annexam habere dicitur. Procreatio au-
tèm sobolis educationis necessitatem involvit. Ex educationis
necessitate nihil certius nihil facilius quam obligatio ad alendum
partum inferitur. Inde *Jacobus Faber tract. de Alimentis cap. 1. p. 6.*
verbo educationis ipsa alimenta significari apprimè notat,
Rubric. ac tot. tit. ff. ub. pupill. educ. deb. l. fin. & ibi Gloss. ff. de alim. & cib. legat. Bart. in l. C. si cum dotem §. fin. autem in fin. ff. solut. matr. Claret hinc, parentes Jure Naturali pro fa-
cultate, ultrà quam nemo obligatur, alere filios filiasve juberi,
& generaliter tenendum, eos, qui matrimonium ineunt, non tan-
tum de procreandis sed & educandis alendisque liberis oppor-
tere cogitare. Consentit omnino *Grotius de J. B. & P. Lib. 2. C. 7. §. 4.* cum ait: *qui causa est, ut homo existat, is quantum in se est, & quantum necesse est, prospicere ei debet de his, quæ ad vitam humanam, id est, naturalem ac socialem, nam, ad eam natus est homo, sunt necessaria.* Quamquam non nego, me amplius quid dixisse, quam *Grotius* in antecedentibus d. l. innue-
re videri posset. Ille enim c. l. distinguit in voce *debiti*, quam in sensu stricto sumi arbitratur pro ea obligatione, quam inducit jus *expletorium* hoc est *Justitia commutativa* vid. *Gronov. in not. ad hunc locum.* Hoc sensu quidem debitum non esse dis-
sentientibus largitur ut à parentibus alantur liberi. Si vero in sensu laxiori sumatur *debitum*, ut significet id, verba sunt *Grotii*, quod nisi inhoneste omitti non potest, licet ex illà *justitia expletrice* non fluat, ali liberos debere à parentibus. Verum, jure Naturali in præsentī quæstione distinctio *Grotii* incognita plane videtur, dum & jure stricto, vel, si cum *Grotio* lo-



qui mavis, ex Justitiâ explettrice, liberis à parentibus præstanda sunt alimenta, nec impetrare à me possum, ut Grotio assentiam, qui ex regulis honesti parentes, ut liberos suos alant, obstrictos tantum esse adstruit. Interim tamen, si honestatis suæ regula jus strictum includat, hoc est, ut illud, quod inhonestè omittitur, alter Jure suo postulare queat, non distamus ab invicem, quamvis obscuritatis notam Grotius effugere hic omnino non possit. Ceterum ipsæ leges civiles nostram sententiam insigniter confirmant, ut clarus hujus rei textus extat in l. 8. §. 5. C. de bon. quæ liber. in potest. patr. const. cujus verba hæc sunt. *Ipsam autem filium, vel filiam, filios vel filias, & deinceps, alere patri necesse est, non propter hereditates, sed propter ipsam naturam, & leges, quæ à parentibus, alendos esse liberos imperaverunt, & ab ipsis liberis parentes, si inopia ex utraque parte vertitur: jung. l. 5. §. 2. 3. & 4. ff. de agnosc. & alend. liber. nemque pr. Instit. de J. N. G. & C. & sic porro.*

S. 4.

Circa definitionem hæretici tam variant DD. ut singulorum definitiones recensere otiosum putem. Unam & alteram tamen eorum nostro examini submittere operæ pretium existimavi. *Samuel Maresius in notis ad Cucchi Institutiones Jur. Canon. p. 223. hæresim ita definit, quod sit proprie error fundamentalis in religione Christiana, qui cum obstinatione & animi pertinacia defenditur.* Atque hæc est communis pene & Catholicorum & Nostratum definitio, quamquam communis opinio communis etiam error esse viderur. Eodem fere redit alia communis hæreseos definitio, quam memorat *Thomasius in Dissertatione de Jure Principis circa hæreticos Cap. 1. §. 2.* quod scilicet hæresis sit *error in fundamento fidei, qui est aut fuit membrum Ecclesiæ Christianæ.* Tantum quod illa Maresii definitio *pertinaciæ animi* mentionem injiciat, quæ errori illi fundamentali defendendo adhibetur. Verum §. 6. manifestum fiet cur non tantum Maresius sed & alii Canonistæ ad hæreticum plene definiendum *pertinaciæ ejus* in defendendo suo errore requisiverint. Quare cum Maresii definitio præter *pertinaciæ* nihil amplius contineat,

neat, quam quod in illa alia communi definitione a Thomasio dudum in *disputatione citata* rejecta continetur; possemus eodem B. L. remittere, nisi quænam nobis mente sedeat de communibus illis definitionibus sententia, patefaciendum restaret. Non possum non obscurissimas easdem appellare, si perpendo, quam laborent petitionibus principii, quæ palpari ferè possunt: semper enim desiderabit hæreticus, ut erroris eum convincant, negans, sese errare: convincere autem aliquem erroris non in eo consistit, quoniam plurimi illum errare clamitant & affirmant, conf. §. VI. in fin. saltem unus quisque se veram fovere religionem imaginatur.

§. 5.

Alia igitur à nobis tradenda erit hæretici definitio. Accommodatius vero eum definire non possumus, quam si dicamus, hæreticum esse, *qui dissentit vel discedit à religione dominante*. Habeo hic consentientem B. Titium Ictum quondam Lipsiensem, qui pari ratione hæresin, quod sit discessio à religione dominante, definit, *Jur. priv. lib. 9. cap. 15. §. 18.* Habeo etiam ad stipulantem vel Auctorem potius *Illust. Thomaf. in Not. ad Institut. Jur. Canon Lancellotti lib. 4. pag. 1894.* ubi & religionis dominantis vocabulum solide explicatur, his verbis; *Religio dominans non est, cui Princeps aut major pars populi addicti sunt; possent enim Princeps aut major pars populi religioni alicui addictus esse, ut subditis tamen, aut minori parti populi relinquatur libertas sentiendi; tum neutra heretica, neutra orthodoxa in sensu Juridico.* Requiritur ergo ad Religionem dominantem, ut ejus Clerus velit dominari in conscientias, & habeat intentioni suæ interveniens brachium seculare vel majoris partis populi. h. e. ut & intentionem dominandi habeat, & vires. Poterit ergo contingere, ut duæ vel plures religiones dominantes sint in una Republica, si videlicet plures diversi cætus sint, quorum singulorum clerus velit, conscientias aliorum imperare, & potentia seculari sit suffultus. Tum ergo non mirari debes, si singulæ diverso respectu simul sunt hæreticæ & Orthodoxæ. Orthodoxæ quatenus dominantur, & una alteram persequitur. Hæreticæ, quatenus inter se dissentiunt, & una ab

al-

altera patitur. Sed & lege aliquâ nostra hæretici definitio suffulta est. Nimirum eodem fere sensu in *l. 2. §. 1. C. de Hæret.* describuntur hæretici, quam descriptionem hîc apponere integram placuit. *Hæreticorum vocabulo* verba sunt legis, *continentur & latis adversus eos sanctionibus succumbere debent qui levi argumento à judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare.* Accommodatissima hæcce nostræ supra datæ hæreticorum definitioni esse, eruditissima explicatione clarum reddit & conspicuum Illust. Thomaf. *l. c. p. 1890.* qua in re consentientem habet B. Titium *l. c.*

§. 6.

Interim quoniam *d. l. 2. C. de Hæreticis* sanctiones adversus hæreticos latas crepat, alia quæstio non levis sanè momenti sub examen erit vocanda videlicet an hæresis sit crimen & propterea puniri queat. Atqui vero in eo omnes, si velint dicere quod res est, convenire debere putaverim, crimen non in solo intellectu subsistere, sed & in voluntatis erumpere actiones externas. Videndum igitur est, an hæresis sit actio voluntatis externa? si est error in fundamento fidei, uti communiter ita vocatur, plane non est actio voluntatis sed intellectus; licet enim error ex voluntate h. e. ex præjudiciis auctoritatis, & præcipitantia, quæ sedem suam in voluntate habent, originem ducat, ideo tamen error, ut actio voluntatis considerari non potest, sed ut actio intellectus; si quidem non ideo hæreticus suam diversam à nostra religione sententiam meliorem intelligit, quasi nostram religionem non velit sectari, sed nostram religionem non vult amplius sectari, quoniam suam meliorem esse intelligit. Ergo sedes primaria erroris in intellectu est quærenda. Porro licet largiamur, concurrere voluntatem, ideo tamen errorem actionem voluntatis *externam* non confestim dixeris, nec hæresin, quia error, dicitur, crimen recte vocaveris, utpote quod in *externam* voluntatis actionem transit. Quod vero de pertinacia in hæresi vel errore defendendo afferunt adversarii, illud causam eorum non leviter suspectam reddere videtur: cum enim probè perspexerint, hæ-

hæresin, eatenus error est, non posse dici crimen, sive me-
ram actionem intellectus, sive internam etiam voluntatis actio-
nem errorem appellaveris, in quo posteriori sensu error vitium
magis quam crimen, quod actione externa sese manifestat, dici
potest; aliud excogitarunt astuti homines, *pertinaciam*, saltem in
defendendo errore & hæresi crimen dici posse arbitrati, quam
ob rem ad hæreseos essentiam *pertinaciam* insuper requisiverunt.
At vero & hic operam & oleum perdiderunt. Pertinacia enim
in defendendo errore non est crimen, sed potius crimen est per-
tinacem illum vocare, qui nullis rationibus convictus sententiæ
communi calculum suum adjicere detrectat. quoniam demon-
strandus prius error, quam quis convictus dici possit, nec de-
monstratus dici potest error, nisi alter interno applausu sententiæ
contrariæ accedit & adstipulatur. Conf. omnino *Thomas. Disp. An
hæresis sit crimen*, itemque *B. Titt. Jur. priv. lib. 9. cap. 15. §. 25.*
spontè itaque jam fluit, nulli pœnæ externæ subjectam esse hæ-
resin, imo ne quidem subjectam esse posse, idque ex ipsâ re-
ligionis natura. Accommodate in hanc rem disserit laudatus *B.
Titt. lib. 9. Cap. 15. §. 19. l. c.* Non posse, inquit, *hæresin ab
hominibus puniri, ex indole religionis ultrò apparet; hæc in animo
consistit præcipuè, solis autem actibus externis neutiquam absolvitur,
hi tamen, ex scitis religionis Christianæ, nihilominus sunt necessari.*
Cum igitur imperium humanum invito sententiam ingerere ac serium
animi applausum excitare & consequenter actus externos quos repudiat
animus, præcipere, vel quos hic necessarios existimat, prohibere ne-
queat, hinc liquet religionem tam internam quam externam esse libe-
ram, ac imperio humano neutiquam subjectam. Porro §. 21. c.
l. inquit: *Ex illa religionis libertate, necessariò quoque à pœ-
na humanâ sequitur immunitas nam cessante imperio cessat pœ-
na, adde Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 20. §. 48. & seq.
Dn. Thomas. fursenrecht. p. 1. posit. 18. §. 1. pag. 192. Ra-
tio hæc generalis est, hinc immunitas quoad quamvis hæresin,
quam enormis illa sit, & quamlibet pœnam, NB. quam levis etiam
fuerit asseri debet. Non possunt igitur hæretici morte, dolore, infam-
iâ, relegatione, multâ, vel quavis alia pœna puniri &c. Nec re-
fert dissentientium hic rationes longâ serie memorare quos re-
futatos uideas partim apud *B. Titt. c. l.* partim apud *Thomas. in**

Not. ad Inst. Jur. Canon. Lancell. lib. 4. tit. 4. pag. 1885. usque ad 1920. seqq. ubi simul consentientes nobis Burnetum Leibnitium & alios deprehendes.

§. 7.

Jam ad quæstionem an filio hæretico debeantur alimenta Jure naturali, properandum nobis est. Atque quidem, si verum est, uti planum est omnino, nullâ ne quidem levissimâ afficiendum esse pænâ hæreticum, quâ hæreticus est, concludo absoluto ore propter supra allegatas rationes, quas etiam palmarias hujus rei rationes non temerè dico filio hæretico alimenta deneganda non esse. Sed & aliæ rationes. eæque sat graves §. 111. suppetunt, unde filio hæretico alimenta necessariò deberi constat.

§. 8.

Inficiandum non est liberos variis rationibus indignos, ut alantur à parentibus sese reddere, & variis ex causis parentes ab obligatione alendi liberos non tantum liberari, sed & prohiberi posse, ut illos amplius alant. Hinc quæritur, an hæresis ut causa ejusmodi sat justa allegari queat, propter quam liberis suis alimenta Jure Civili denegare possint parentes? leges positivæ, ut mox videbimus, non desunt; quibus apparet parentes ab hac obligatione liberari, quas partes quoque non pauci DD. eligere ac tueri non dubitaverunt, propter *l. 19. C. de Hæreticis & Manich.* ubi genitores hæretici liberos orthodoxos tantum, exclusis his qui non Dei Omnipotentis verba sunt legis, sed paternam vel maternam impiam affectionem secuti sunt, alere jubentur: porro quis nescit, ex iisdem causis alimenta recte auferri liberis, ex quibus exhæredari possunt? Nam sic Jacob. Fab. tract. de alim. cap. 7. pag. 198. argumentum ab exhæredatione ad alimenti denegationem utique duci posse statuit. Atqui vero filius hæreticus exhæredari omnino potest, per N. 115. 3. Ergo alimenta etiam ipsis denegari debere firmiter credendum est. Consentunt Surdus, & alii, quos Colerus de alimentis lib. 1. pag. 139. seqq. refutat. Verum enim vero uti re-
cte

Et hos refutavit Colerus *c. l.* ita & mihi rationes non leves suppetunt, quibus evinci potest, hæretico filio utique alimenta à parentibus præstanda esse. Quod attinet *legem 19. C. de Hæreticis*. Repono: illam legem loqui de duobus casibus, 1. de parente hæretico & filio Orthodoxo 2. de parente & filio hæretico, non vero loqui de casu quo parens Orthodoxus, liberi vero hæretici, ita ut tum plane alia sit ratio vid. *Colerum c. l. conf. Brunn. ad C. lib. 1. tit. 3. l. 17. n. 4.* Deinde ab exhæredatione ad alimentum denegationem non rectè inferri argumentum clarè docet Colerus de alimentis *p. 139. seqq.* quoad parentes sic argumentari licet non vero quoad liberos inquit Mindanus *l. 2. cap. 54. n. 6. seqq.* Ego hoc addo omnes causas exhæredationis liberorum *cap. 3. Nov. 115.* allegatas modo hæc penitus ponderentur, ingratum liberorum erga parentes animum & affectum vel aliam quamvis speciem injuriæ ponere: exceptâ illâ hæreseos causâ, quam tamen ne minimam quidem injuriam erga parentes involvere aut præ se ferre putaverim, idque ex supra allegatis rationibus, quoniam videlicet hæresis in intellectu consistit, & ex ipsâ religionis naturâ pro voluntatis actione externa criminosa haberi nequit. Accedit, quod reverentia parentibus debita eo extendenda non sit, ut eorum religionem, sæpe etiam erroneam, sectari liberos oporteat. Et postremo, alimenta liberis à parentibus adhuc vivis præstanda sunt, idque *ob charitatem sanguinis, v. l. 5. ff. de Agnos. & Alend. lib.*, hæreditas vero & legitima viventis non est, nec à vivis parentibus exigipotest, uti indubitatè rationibus probavit *Thomas. tot. Disp. de legit. vivent.* quoniam igitur tanta inter hæreditatem relinquendam & alimentorum præstationem intercedat diversitas, tantaque discrepantia, quis quæso dixerit, ab exhæredatione ad alimentorum denegationem valere argumentum, cum à diversis nihil inferatur *arg. l. ul. ff. de Calumn.* Licetque *Jacobus Faber c. l.* utique ab exhæredatione ad alimentum denegationem inferri posse opinetur, tamen impetrare hæcenus à me non potui, ut ipsi calculum adjicerem, imprimis cum alio loco aliter statuat, & argumentationem ab exhæredatione ad alimentorum denegationem uno ictu destruat, expressè defendens, hæreticis deberi alimenta, *v. ejusd. tract. de aliment. cap. 2. pag. 18.* quam sententiam & DD. calculis confirmat.

§. 9.

Nunc quæstio exoritur an jus civile alimenta demere queat illi, cui eadem Jure Naturali debentur? Mea sic est sententia: quædam sunt Juris Naturalis permittentis, vocabulo juris pro facultate seu attributo personæ sumto, quædam vero præcipientis, quo casu jus pro lege accipitur. Illa, dicente *Grot. lib. 2. cap. 3. §. 5. de J. B. & P.* Societas humana proprie non requirit, hoc est inter licita referuntur, quæ in medio quasi posita, tranquillitatem externam per se neque promovent neque turbant. Hinc leges civiles his, quæ Juris Naturalis permittentis sunt detrahere & derogare possunt ob certas rationes politicas. Ea vero, quæ Juris Naturalis præcipientis sunt, nec possunt nec debent lege civili contrariâ tolli, licet legi illi naturali præcipienti majus adhuc pondus & major pænalis sanctio per legem civilem addi utique queat. Quod si igitur præsentem de alimentis liberis præstandis quæstionem, ad hæc accomodare velimus, apparet, uti jam supra ostensum alimenta jure naturali præcipiente liberis à parentibus erogari debere, ut tutò hinc concludam, per nullam legem civilem regulariter impediri liberos jure posse, quominus à parentibus sua naturalia alimenta valeant exigere, quamvis modum in erogandis iisdem leges positivæ recte definiant.

§. 10.

Illud non omittendum est, quod Colerus de alimentis pag. 139. seqq. ex sacra scripturâ insuper probare allaboret, liberos hæreticos à parentibus esse alendos his verbis: *ideo mihi videtur, eam sententiam rectè probari ex sacris literis Galat. 6. vs. 10. ubi cum Apostolus jubeat beneficentiam exercere erga omnes, maxime tamen erga domesticos fidei, sequitur ut illis, qui veræ religioni & fidei addicti non sunt, inopia laborantibus succurre debeamus: idque indicat non tantum particula implicativa, maxime, sed etiam patet ex verbis apertis erga omnes Idemque per manifestam distributionem ulterius confirmatur 1. Thessal. cap. 5. vs. 15. ubi ju-*

benur beneficentiam semper sectari, tum inter nos mutuo, tum erga omnes, ad quæ loca proculdubio respicit text. C. non satis est dist. 8. 6. & plura dicentur infra cap. 5. num. 22. Hactenus Colerus. Quod si quis regerat, ex regulis virtutis illa fluere, Christum & Apostolos non legislatores egisse, sed Doctores virtutis & cum iusti regulis honesti potissimum præcepta tradidisse, ad virtutem vero neminem externè cogi posse; Repono: ex scitis Juris Naturæ etiam strictè sic dicti, quatenus videlicet iusti præcepta tantum comprehendit, abunde liquet, liberos etiam jure stricto à parentibus esse alendos, adeò ut si contra faciant parentes, iniusti merito dicantur. Et præterea nihil impedit, quo minus principes, & ea, quæ alias ex spontaneo & libero virtutis exercitio dependent, fieri à nobis debere legibus positivis statuant, ipso alimentorum exemplo.

F I N I S.



B 3

CON:

CONSECTARIA:

I.

Heres inventarium omittens amittit quartam trebellianicam.

II.

Filius emancipatus potest esse testis in testamento patris.

III.

Filius famil. de bonis adventitiis, in quibus pater nullum habet usumfructum, testamentum facere potest.

IV.

Exheredato filio recte dari potest tutora patre.

V.


Pupillus sine auctoritate tutoris contrahens non obligatur.

VI.

Ius Accrescendi pertinet ad emptorem hereditatis.

FINIS.





Leiden, Diss; 1717-29



f

TA-701

nur 4-stax bisher verknüpft

①





4

DISSERTATIO
JURIDICA INAUGURALIS
DE
HÆRETICO ALENDO.

1717, 2


1717

QUAM
ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
ANTONII SCHULTINGII,
J. D. ET ANTECESSORIS ORDINARIJ.

NEC NON
i SENATUS Academici Consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,
GRADU DOCTORATUS,
in utroque JURE Honoribus & Privilegiis ritè
ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit
ARDUS WARSING, Amstelodamensis Batavus,
diem 15. Julii 1717. horâ 10. locoque solito.



VI BATAVORUM, apud CONRADUM WISHOFF.

KONFRIED
UNIVERS.
ZV HALLE

B.I.G.

Farbkarte #13

Black	Black
3/Color	3/Color
White	White
Magenta	Magenta
Red	Red
Yellow	Yellow
Green	Green
Cyan	Cyan
Blue	Blue

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19